



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 8. Quid est Maleficium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

ta, vel futura per media vana, & impropor-  
tionata inquirunt, prædicunt, enunciant,  
vel qui tales consulunt, aut eorum dictis  
fidem certam adhibent. Item qui alios de  
fortuna consulunt seriò, vel cum scandalo:  
si autem joco tantùm, nec fides adhibeatur,  
& scandalum absit, dicunt esse solùm venia-  
le, quia superstitio non est perfecta, nec læ-  
ria. Obstat tamen, quòd consulens coo-  
peretur peccato mortali alterius, ideòque  
mortaliter peccet, nisi uterque joco tantùm  
agat, nam tunc videtur peccare solùm ve-  
nialiter. 2. Qui notitiã ex divinatione  
partã utuntur tanquam certã, vel actiones  
suas secundùm eam dirigunt. 3. Qui ad  
aliquid obtinendum media inepta, & im-  
proportionata adhibent, etiam joci causã,  
sed ex quadam curiositate, ut experiantur,  
quid casu accidat, quamvis putent, totum  
esse vanum & futile: nam ii tentant expe-  
riri, an dæmon de factò se illis mediis im-  
miscet: ergo tentant cum dæmone socie-  
tatem habere, quod mortale est, etsi joco  
fiat. *Ua Castropal. La Croix, &c.*

Q. 8. *Quid est Maleficium?*

*Resp.* Est ratio nocendi aliis ope dæmo-  
nis: unde continet triplicem malitiam  
mortalem, scilicet contra Religionem, cha-  
ritatem, & justitiam. Duplex est, aliud  
dicitur veneficium, quo alicui in propria  
per-

sona, vel animalibus damnum inferitur, morbis, doloribus, morte, &c. Fitque multis modis, utendo vel causis naturalibus cognitis ope Dæmonis, aut signis, ut cum imagines punguntur in aliqua parte, & tunc aiii læduntur in simili parte corporis: vel signa quædam aliorum corporibus, vel vestibus applicando, quibus durantibus malè afficiuntur. Aliud est amatorium, seu philtro, quod adhibetur ad carnalem amorem, vel odium excitandum, dæmone humores, & phantasiam commovente, unde oritur gravis tentatio, quæ tamen libertatem non adimit: quare qui philtro infecti in rem veneream consentiunt, verè peccant mortaliter.

Porro maleficium tolli potest 1. Exorcismis, oratione, pœnitentia, jejuniis, & aliis pietatis operibus. 2. Remediis ex Medicina petitis. 3. Destructione seu combustione signorum, quibus annexum est pactum, præcisè ut operum Diaboli, ex Rit. Roman. *d. Exorciz.* at non licet illud tollere per aliud maleficium, vel superstitionem, cum sit intrinsecè malum invocare dæmonem, vel ad id inducere.

*Not.* Divinatores, magi, & malefici non sunt absolvendi, nisi omne pactum cum dæmone, & commercium abjurent, ac dissolvant, & omnia signa, artis magicæ instrumenta, libros, schedas, ligaturas comburant, & damna illata refarciant. Quodd

si Chirographum dæmoni dederint, non  
necesse est illud ab eo extorqueri; nam  
ad ejus destructionem sufficit pœnitentia.

## ARTICULUS II.

### *De Irreligiositate.*

**I**rreligiositas est peccatum, quo Deus in  
se, vel in rebus, aut personis sacris in-  
honoratur. Quintuplex est species, scili-  
cet, blasphemia, tentatio Dei, sacrilegium,  
simonia, & perjurium, de quo jam egi.

*Q. 1. Quid est Blasphemia, & quatuor-  
plex?*

*Resp. 1.* Blasphemia est locutio contu-  
meliosa in Deum: triplex est specie diver-  
sa, nempe Hæreticalis, Imprecativa, & me-  
rè Dehonestativa. Hæreticalis est ea, quæ  
hæresim continet, & sic duplicem habet  
malitiam mortalem, nempe contra fidem,  
& Religionem: fit vel attribuendo Deo  
id, quod ei non convenit: ut si dicatur ty-  
rannus, crudelis, injustus, &c. Item ô mi-  
serum Deum; vel de eo negando, quod ei  
convenit: ut si dicatur non esse omnipo-  
tens, bonus, misericors, non curare nostra,  
non prospicere rebus humanis, non omnia  
esse bene ordinata, dæmonem esse Deo  
me-